

ipsa bona nitens de bono in melius reformare. Ita quod non depereant sed de bono in melius recipient incrementum actendens quod dicta Ecclesia S. Sepulcri in Barolo habet tenet et possidet domum unam constructam de Tabolis existentem prope menia et Turrim civitatis ejusdem et in solo Ecclesie sancti sepulcri prefati ex qua domo modica adveniebat utilitas Ecclesie memorate habitu quod ille et fratres sui diligent consilio et sepe sepius repitito tractatu exponi fecerint plures per civitatem Baroli omni jure sollepnitate servatis ipsum velle et paratum esse predictam domum concedere cuicunque volenti conditionem Ecclesie predicte sancti sepulcri facere meliorem et successoribus eorum ex eorum corporibus legitime descendantibus seu ad primam (*sic*) heredem tantum Et si quis esset qui vellet ipsam ab eo conducere coram eodem fratre Nicolao comparere deberet quia paratus erat predictam domum concedere ad annum censem et locare. Ad cuius vocem preconis nullus comparuit qui domum ipsam vellet conducere seu ad annum censem locare nisi Ego predictus Magister Pascalis et ego magister Iacobus qui anbo (*sic*) abtulimus nos velle Domum ipsam predicto fratri Nicolao conducere et eam de bono in melius augmentare more boni patris familias nostris propriis sumptibus et expensis et in ea edificare ac domum ipsam tenere et possidere nos et nostri heredes ex nostris corporibus legitime descendantibus dum vixerimus nobis vero et nostris dictis obeuntibus dicta domus cum omni beneficio et melioratione facta in ea ad jus et proprietatem dicte Ecclesie Santi Sepulcri deveniat pleno jure et . . . . . nos similiter velle dare anno quolibet predicto fratri Nicolao vel successoribus suis nomine et pro parte dicte Ecclesie Sancti Sepulcri census nomine et annue prestacionis dicte domus florenos auri duos. Qui predictus frater Nicolaus volens condictionem dicte Ecclesie Sancti sepulcri in hoc facere meliorem habitu consilio diligent quia vidit dictam Ec-